



VTILO filius fuit Theodonis primi Boiorū du-
 cis, quem pater cum Theodone suæ prouinciæ nouiter acquisitæ prefecerat, anno Christi 512.
 Cum autē Theodoricus Clodouei filius in regno
 rum diuisione Mediomatrices & Belgas sorte ac-
 quisiuisset, atq; Dani primūm ea tempestate arma
 sua in Francos Belgas cōuerterant, Theodoricus
 rex hunc Vtilonem ob magnam rei bellicæ peri-
 tiam in auxilium acciuit. Franci enim & Bojū æter-
 no fœdere sibi inuicem coniuncti erant. Itaq; Vti-
 lo armato milite aduersus Danos properat, atque
 terra mariq; hostem inuadit, fundit, & cædit. Inter-
 fecto quoq; eorum rege Cochelarico omnē præ-
 dam ac captiuos recuperauit. Ea uictoria parta Theodoricus rex sororem suā
 Vtiloni uxorem dedit, atq; ob egregiam eo bello nauatam operam, limiti
 Antoripensi, inter Scaldim, Mosam, Rhenum amnes & Oceanum, aduersus
 Danos latrocinia & pyraticam agitantes, Marchionem cōstituit. Ab hoc Vti-
 lone Caroli Magni prosapia deducitur. Cum enim ijs in locis magna uirtute
 Vtilo rempublicam administrasset, atq; tādem mortuus esset, Hugobertum
 filium successorem reliquit. Is Asopertum, ex quo Arnolphus, et tādem ex eo
 Angifus pater Pipini exortus fuit. Auent. lib. 3. & 4.